

quia ( ut inquit ) defectus probationis non est ex culpa sua. Et dat exemplum de eo qui debitorem fugientem accipit, & de illo qui furatus est mihi centum, & non possum probare, à quo dicit me non solum posse tantumdem retinere de suo, sed etiam occulte accipere. Dicit enim quod quando iudicis copia haberi non potest, aut propter defectum iudicis, aut adversam, quam forte ob illius potentiam timet, & ob hoc non audeat illum ad iudicium vocare, aut aliter sine culpa sua aliquis non potest iudicium, & iustitiam impetrare, ille potest sibi jus dicere. Alias omnia bella ( ut inquit ille ) essent iniusta. Ob eandem rationem Adrianus in quodlibeto sexto, art. 1. generaliter dicit licere homini propria auctoritate rem suam, vel æquivalentem dum sine scandalo, & sine turbatione fieri poterit, recuperare. Quia jus humanum ( ut inquit ) hoc prohibet ne sequatur turbatio, aut scandalum, & inde deducit, quod si bene prospectum fuerit scandalo, nihil illicitum sit, cum quis rem suam propria auctoritate capiat. Et, quod magis norandum est, dicit, quod licet cum scandalo, & per vim rem suam accepisset, quamvis peccaret, non tamen teneretur in foro spirituali acceptum restituere. Et probat, quia l. Si quis in tantam, C. Unde vi. Et l. Extat, ff. Quod metus causa, & cap. Placuit 16. quæst. 6. & cætera huiusmodi humana jura non privant hominem ipso facto, dominio, sed decernunt privandum esse, ut notat glossa in dicta lege, Si quis in tantam, in verbo, Amittat, ubi dicit quod per sententiam, & non ipso jure. Denique Joannes Medina in suo Codice de Restitutione, sive de Contractibus, quaestione undecima, multo latius, & exactius de hac re differit, & tandem istorum omnium sententiam subscribit. Ex quo loco ego aperte convinco illam secum pugnare, & quæ minime coherere possunt, in diversis hujus operis nunc citati locis asserere. Et ne quis illi nimium affectus parum fortassis mihi fidat in illius sententiis citandis, putans me falso hanc illi inurere notam, statui verba illius nec uno mutato citare, ut Lector videat me fideliter citasse, & inde intelligat illum secum pugnantiã dixisse. Nam in quaestione prima totius operis differens de rerum divisione, circa finem ejusdem quaestionis, ubi tractat de translatione domini, postquam dixerat illam ex sola legis auctoritate fieri posse, & de hoc aliqua referens exempla, hæc quæ sequuntur, ait: Similiter idem apparet quando lex hominem ob culpam suam rebus suis ipso facto privat. Ut si incidat quis in hæresim, aut crimen læsæ majestatis committat: nam ob hanc causam rerum suarum dominium ex legum voluntate perdit, & fisco applicatur, ut habetur in capitulo, Cum secundum leges, de Hæreticis, lib. 6. Aut etiam si quis cadat in commissum, puta in agro vectigali, ipso vectigali non soluto. Aut si quis occultavit merces, quarum vectigal erat solvendum, quia ipso facto rerum illarum dominium perdunt, & acquiritur fisco: etiam si in his casibus res huiusmodi licite retineri possint ante sententiam declarativam, sine qua sententia res huiusmodi possessores auferri non possunt. Hæc Joannes Medina, ubi supra. Sed cum hac sententia adeo pugnant ea quæ in duobus aliis locis ejusdem operis asserit, ut nullo pacto in concordiam redigi possint. Nam in quaestione vigesima secunda, differens de acquisitis in ludo alearum, & asserens contra Adrianum, quod is qui in ludo perdit, non potest propria auctoritate compensationem pro re perditã surripere à lucrante, hæc quæ sequuntur, ait: In penis quæ alicui certæ personæ per legem ipso facto, aut ipso jure

etiam sine iudicis sententia applicantur, crederem compensationem locum esse, sive sit pœna conventionalis, sive legalis. Ubi tamen pœna huiusmodi non sic alicui certæ personæ, ipso facto applicatur nisi præmissa partis repetitione, & iudicis sententia interveniente, tunc sicut pœna antequam repetatur illi non debetur, ita nec locum habet compensatio in conscientia. Hæc ille. Ex quibus verbis sequitur apertissime fisco posse salva conscientia, compensationem propria auctoritate sumere ab hæretico, aut ab eo qui crimen læsæ majestatis commisit: quia pœnæ istorum criminum sunt per legem ipso facto, & ipso jure, sine iudicis sententia applicatæ fisco. Nam ( ut ipsemet Joannes Med. in verbis suis, quæ primo citavimus, dixit ) propter ista crimina bonorum dominium, per solam legem sine iudicis sententia esse ipso jure translaturum in fisco. In illa enim prima quaestione, art. ult. differens, quo pacto ab uno in alium transferatur dominium, dicit tribus modis id fieri posse, aut sola legis auctoritate, aut sola voluntate iudicis sententiam ferentis, aut ex voluntate ipsius possessoris. De primo modo qui fit sola legis auctoritate proposuit in exemplum illa crimina quæ retulimus propter quæ, ut ille confessus est, fisco statim sine ulla iudicis sententia acquisivit dominium bonorum, quæ illi, cum crimen commiserunt, possidebant. Fisco ergo, juxta hujus Doctoris sententiam, quæ in verbis secundo loco citatis explicatur, poterit propria auctoritate ab illis delinquentibus capere secreto compensationem, quando illam à iudice impetrare non possit, prout contingit in casu nostræ argumentationis. Sed hoc non hæret cum eo quod ait in quæst. undecima, ejusdem operis, ubi differit de rebus per creditorem in recompensam debiti ablatis. Nam illo loco juxta beati Bernardi sententiam, quam ille sequitur, enumerans conditiones quas ad justam compensationem faciendam dicit esse necessario requisitas, hæc quæ sequuntur, ait: Prima conditio est, quod debitum suum sit liquidum, & non dubium, alioquin peccaret propria auctoritate volens satisfacere. Hæc ille. Ex quibus evidentissime sequitur hæreticum, aut eum qui crimen læsæ majestatis commisit, debere & non obsecrare, sed clarè & aperte bona sua fisco: quoniam ( ut nunc proxime ille dixit ) nisi debitum esset liquidum non posset licite pro illo compensationem sumere. Et quamvis ille non dixisset, manifeste probari poterat per l. Debitor, ff. de Verborum significatione, cujus hæc sunt verba. Debitor intelligitur is à quo invito exigi pecunia potest. Sed ab eo qui commisit crimen propter quod est ipso jure bonis suis privatus, potest fisco illo invito exigere bona illius: ergo ille qui crimen commisit, est debitor fisco. Si debet bona sua fisco etiam ante iudicis sententiam: ergo ante illam sententiam tenetur illa fisco reddere. Quia nisi quis debitum reddat, dum id facere potest, non potest salva conscientia consistere, quia Paulus ait: ( Rom. 13. ) Reddite omnibus debita. Et iterum: Nemini quidquam debeatis. Tenetur ergo nemini quidquam debere: sed qui debitor est alicujus, non potest se à debito illo liberare, nisi solvendo illi debitum, aut obtinendo remissionem debiti ab illo. Igitur hæreticus, aut qui crimen læsæ majestatis commisit, ut se à debito liberet, tenetur bona olim sua fisco reddere, nisi remissionem ab illo impetraverit. Et certe ipsum debiti nomen obligationem quamdam manifestat: quia nisi quis obligatus sit ad reddendum, nunquam debere diceretur. Quid enim homo debere potest alteri, si nihil est illi reddere obligatus? Hoc argumentum adeo mihi videtur adversarium, præsertim Joannem Medinam ur-

ge-

gere, & confringere, ut ingenue fatear me necire quo pacto se possit ab illo tueri.

Quinto principali argumento eandem principalem conclusionem sequo. Omnis qui juste possidet rem aliquam, possidet illam uno ex his quatuor modis, aut legis auctoritate, aut iudicis mandato, aut titulo proprii domini veri, vel juste præsumpti, aut nomine alterius qui dominium verum, vel juste præsumptum habet in re illa, hæreticus nullo istorum modorum possidet bona olim sua: ergo hæreticus injuste possidet illa. Consequencia ista est evidens, quia est syllogismus optime ordinatus in tertia figura in modo notissimo, qui dicitur Baroco. Major propositio quæ sumitur in antecedente, etiam est manifeste ex sufficienti partium enumeratione: quia non potest dari alius modus per quem res aliqua juste possideri possit. Legis justæ auctoritate res possidetur juste, quia lex justa sicut potest dare dominium, ita etiam possessionem, ut aperte convincitur per l. Raptores, C. de Episcop. & Cler. & per l. ultim. C. de sacrosanct. Eccl. & per leg. Regni Castellæ, quæ Taurense dicuntur, ubi lege 45. præcipitur, ut mortuo possessore alicujus primogenituræ eo ipso sine aliqua iudicis sententia, dominium & possessio ejusdem primogenituræ, transferatur ad illum qui ex institutione illius primogenituræ, debet succedere defuncto. Auctoritate iudicis res juste possidetur, quando iudex auferens illam ab injusto possessore, tradit eam illi cui jure debetur: aut quando ratione depositi illam tradit alicui. Auctoritas proprii domini ad justam possessionem est adeo manifesta, ut non eget probatione. Sed quod in auctoritate illa dixi esse satis, si dominium esset juste præsumptum, quamvis non esset verum, propter illos dixi, qui bona fide rem aliquam possident putantes suam, quæ tamen sua non est. Hi enim juste possident, non tamen auctoritate veri domini, quia illud non habent: sed auctoritate & titulo domini, quod merito putat se habere. Hoc enim contingit in hærede, qui adiens hereditatem, invenit in ea aliquid quod est alienum, & capit illud, putans ad hereditatem pertinere. Et idem contingit in eo qui bona fide emit aliquid à jure, existimans illum esse dominum rei venditæ. Nominem alterius juste possidet rem aliquam, is cui verus, aut juste existimatus dominus eam locavit, aut mutuo, aut pignoris loco dedit. Sic igitur illa majori propositione declarata constat illam esse verissimam: quia non est alius modus, quo juste res aliqua possideri possit. Quod autem hæreticus, aut quicumque alius suis bonis à jure privatus, nullo istorum modorum ante sui criminis declarationem, bona illa possideat, facile probatur. Non enim possidet titulo veri domini, aut præsumpti, quia ille non habet jam bonorum illorum verum dominium, sed fisco, prout adversarij fatentur: nec habet dominium justè præsumptum: quia ( ut suppono ) ille scit se esse suis bonis à jure privatum. Deinde, non possidet nomine, aut auctoritate veri domini: quia fisco qui est verus istorum dominus, non concessit reo, ut illa bona suo nomine retineret. Nec etiam possidet auctoritate, aut mandato iudicis: quia nullo jure habens rectè exploratum crimen illius, nisi injuste iudicare vellet, concederet reo bonorum illorum possessionem, immo potius e contrario auferret ab illo, & traderet fisco, quem scit esse verum istorum dominum. Denique non possidet auctoritate legis: quia ( ut in primo argumento probavimus ) nulla est lex quæ reo ipso jure suis bonis privato, concedat istorum bonorum possessionem, quousque sit de suo crimine per iudicem competentem damnatus. Ex quibus

omnibus apertissime convincitur illum injuste talia bona possidere: quia nullo istorum modorum illa possidet. Et potest hæc argumentatio robustissime confirmari, per hoc quod nullum est nomen quo hæc bonorum possessio, si iusta censeretur, merito appellari possit. Nam omnis rei alienæ, & cum noticia rei alienæ iusta possessio, aut dicitur depositum, aut locatum, aut mutuum, aut pignoris retentio, aut secretum, aut iusta pro re propria compensatio. Nec est aliud nomen quo alienæ rei possessio, & cum noticia alieni possit iusta censeretur. At possessio illa est rei alienæ, quod ipsi adversarij fatentur: & est cum noticia rei alienæ, quia suppono illum optime scire se propter suum crimen esse ipso jure privatum dominio bonorum. Possessio autem illa non potest dici depositum, nec locatum, nec mutuum, nec precarium, nec retentio pignoris sibi dati, nec iusta compensatio pro re sibi alias debita, quia suppono fisco nihil post crimen à reo commissum debere illi: ergo possessio illa non potest dici iusta. Injusta enim necessario dicenda est, quæ nullo justæ possessionis nomine censeretur potest, nisi forte velis dare medium inter justam, & injustam possessionem: quod nulla recta ratio permittit. Quod autem possessio illa non possit aliquo illorum nominum appellari, inde convincitur quod secretum, aut depositum semper fit mandato iudicis, aut domini quorum neutrum est hic. Locatum autem, aut commodatum, aut precarium, aut mutuum, aut pignoris retentio, semper fit per traditionem à domino, aut ab alio nomine illius factam. At reus qui ipso jure est suis bonis privatus, non possidet illa bona ante sui criminis condemnationem illorum factam à fisco, qui est verus istorum dominus. Ergo talis possessio non potest aliquo illorum nominum censeretur: & per consequens non est iusta.

Præter hæc quinque argumenta quæ ex meo matre prodierunt, alia possem referre argumenta, sed quia debiliora sunt, omittenda esse censui. Solum hic citare volo argumentum, quo Abbas hanc sententiam probare se credidit, cum tamen nihil minus fecerit. Ille enim ( ut mox dicemus ) hanc quam ego tueor sententiam docet, & ut illam convincat esse veram, hoc argumento pugnat. In huiusmodi criminibus jus est acquisitum fisco, & pœna ipso facto commissi exigitur ab hærede, licet alias hæres non teneatur ex delicto defuncti. C. Ne ex delictis defunctorum, per totum. Hæc ille. Hoc argumentum dissolvit Philippus Decius in cap. Canonum, de Constitutionibus, numero 20. Sed quam bene id fecerit, non est mihi animus nunc discutere. Satis enim mihi esse arbitror, si ostendero illius argumenti impotentiam, & illi aliter quam Philippus Decius fecit, posse melius responderi. Fateri quidem possit is qui contrariam tueretur opinionem, pœnam exigi posse ab hærede propter crimen defuncti, quando ille ipso jure incidat in pœnam. Nam pro hac re est textus expressus in cap. Accusatus, §. In eo vero casu, de Hæreticis, lib. 6. ubi præcipitur, ut ab hæredibus hæretici, qui morte interveniente, non fuerat de crimine damnatus, possint bona illius post mortem ejusdem capi. Sed per hæc non probatur, quod hæreticus dum viveret ante condemnationem obligaretur in conscientia bona sua reddere fisco. Si probaret Abbas hæredes ante condemnationem defuncti, esse obligatos in conscientia ad reddendum fisco bona quæ defunctus possidebat, optime inde colligere posset defunctum ante sententiam sui criminis declaratoriam fuisse obligatum ad reddendum bona sua fisco. Quia hæredes succedunt in locum defuncti, & non possunt ratione hereditatis obligari ad reddendum aliquid, nisi defunct-



glossator non intelligens, miratur, quod mulier illa vere poenitere possit, quum semper retineat alienum, & obicit cap. Si res, 14. q. 6. Sed si vere causam agnovisset, non miraretur: quia etsi alienum retineat, dominus tamen juxta recte rationis judicium deberet velle, ne cum tam gravi damno, quale est famae dispendium, illud sibi reddatur. Quod vero Adrianus contra hanc sententiam obicit regulam illam juris: Utilius scandalum nasci permittitur, quam quod veritas relinquatur, nihil me movet. Non tamen dico ego, regulam illam esse intelligendam de solo iudice vel teste, & non de accusatore aut denunciatore, qualis est hanc mulier adultera, quum crimen suum revelat. Nam hoc modo dicit ille, respondere Innocentium, & Hostiensium, & Panormitanum, quos refert, hanc quam ego tueor, docere sententiam. Sed certe, si illam regulam, prout oportet, de veritate vitæ, & justitiae necessitatis intelligamus, etiam est vera in accusatore & denunciatore, sicut in iudice & teste. Quoniam aliquando etiam obligatur denunciator ad denunciandum, sicut testis ad testificandum, & Judex ad judicandum. Et tunc oportet etiam juxta regulam juris, ut quamvis scandalum ex tali denuntiatione oritur, non omittatur talis denuntiatio, nisi forte scandalum, quod nasci timeretur, esset majus malum, quam illud quod denunciandum est, & quod per talem denuntiationem vitari debet. Aliter ergo ad regulam respondeo, & dico regulam esse intelligendam non de omni veritate, sed de sola illa, quæ est ad salutem necessaria, sive illa sit veritas vitæ, si-  
 C  
 ye justitiæ, sive doctrinæ. Alias enim sequeretur ex eadem regula, quod interrogatus de crimine suo occulto, de quo nulla haberet suspicio, obligaretur fateri illud & dicere veritatem, quamvis inde sibi scandalum immineret, quod tamen est absolum, quia nemo tenetur se ipsum prodere, quando crimen est prorsus occultum, & omni suspicione carens. Sequeretur etiam confessorum de crimine poenitentis interrogatum, obligatum esse ad propalandum illud, quod nullus Catholicus concedet. Quia veritatem illam dicere non est sacerdoti necessarium, immo necessarium est illi tegere illam. Quando veritas, aut doctrina aut vitæ est ad salutem necessaria, numquam est illa relinquenda, quamvis inde scandalum nasci timeatur. At mulierem adulteram revelare suum crimen non est de hujusmodi necessariis veritatibus, & ideo ad tollendum scandalum mariti, hoc est, uxoris ipsius necem, non est inconveniens veritatem illam a muliere illa relinquere. Deinde, regula illa est intelligenda de scandalo aliorum, & non de scandalo proprio. Quia si ex prolataione veritatis doctrinæ oritur mihi scandalum, hoc est, necessitas alterius majoris peccati, debeo relinquere veritatem, ad quam non est tanta obligatio, ut eviem aliud majus peccatum, quod mihi inde necessario paratur. Et hoc evenit in muliere adultera, quæ si dicit se concepisse illum filium ex adulterio, ex illius veritatis prolataione oritur scandalum animæ suæ, quod est seipsam diffamare. Hoc autem (ut jam sæpe diximus) multo majus malum est illi, quam tacendo retinere aliam hæreditatem. Debet ergo mulier adultera crimen suum tegere, ne famam suam, quæ cunctis divitiis est melior, perdat: & famam suam servans, debet meliori qua potuerit via, satisfacere de damno quod intulit his, quorum bona filius suus spurcius retinet. Quod omnium iudicio melius esse judicatur, est, ut filio suadeat ingressum Religionis. Sed certe nisi Religionem Fratrum Minorum aut aliam similem intraverit, non evitatur damnum magis, quam si mansisset in sæculo. Quia in aliis Religionibus Monaste-

rium succedit in hæreditate, quæ Monachum jure contingere possit. Si Religio Monachus illi filio non placet, sed potius illum odio habet, quod melius ego puto, est, ut illa, si alios habet ex marito filios, eo pacto testamentum disponat, ut aliis filiis tertiam & quintam sui patrimonii partem relinquat. Nam hoc in Regno Castellæ optime juxta ejusdem Regni leges facere potest. Suadeat etiam marito, ut tantumdem ille faciat. Quod si impetraverit a marito, minimum erit, aut forte nihil in quo reliquos filios lædet. Si res hæc in Regno Aragoniæ, facillimum esset remedium: quia in illo Regno parentes maximam habent libertatem disponendi de bonis suis. Nam etsi ditissimi sint, & filios habeant, non coguntur relinquere alicui filio ultra quinque argenteos solidos, qui vix constituunt quartam unius ducati partem. Hoc autem ideo apud illos constitutum esse dicitur, ut hac via filii cogantur parentibus obedire, qui si scirent parentes nihil ultra quintam sui patrimonii partem posse filios detrahere, fierent ipsis parentibus inobedientes, & insolentes. In eo igitur Regno facillimum esset remedium, si mulier illa ex suis bonis tantum aliis filiis in testamento relinqueret, quantum filius spurcius accepit ex patris hæreditate. Si vero ipsius adulteræ patrimonium tantum non est, ut hoc præstare possit, suadeat marito, ut non plus filio spurcio relinquat, quam ipsa libere aliis filiis testamento reliquerit. Et idem etiam fieri potest in ea Cantabriæ parte, quæ nunc Vizcaya dicitur: quoniam illis fere similem habent parentes testandi libertatem. His igitur omisissis, qui propriis legibus vivunt, de aliis differamus, qui jure communi in hac parte reguntur. Et circa illos omnes unum mihi occurrit difficile dubium, quod semper hæctenus me torquet. Si maritus uxoris adulteræ nullum habet filium, cui faciendæ erit restitutio pro hæreditate mariti quam retinet filius spurcius? Si dicas hæredibus esse dandum, cum nullus nisi filius aut in recta linea illi succedens sit hæres necessarius, sed ex sola voluntate testatoris pendeat, quis sit futurus illius hæres, deficientibus filiis, non potest cognosci quem ille relicurus esset hæredem, si sciret illum non esse filium suum. Forte non reliquisset consanguineos, sed in pia opera totum suum patrimonium erogasset, & pauperes reliquisset hæredes, aut hospitale, aut Monasterium aliquod. Tunc ergo, si uxor pro hæreditate a filio spurcio retenta, consanguineis mariti ab intestato succedentibus restituat acceptum, contra illam lædere pauperes, aut hospitale, aut Monasterium quod reliquisset hæredem, si sciret illum non esse filium suum. Huic autem damno non video quo alio modo mederi possit, nisi quem ego nunc prodam. Si forte maritus putans illum esse filium suum, fecit pro illo pupillarem substitutionem, tunc manifestum est, adulteram debere restituere illi quem maritus pro filio substituit. Quia maritus talem pupillarem substitutionem faciens, apertissime declaravit, se fuisse relicturum hæredem, quem pro filio substituit, si sciret alium non esse filium suum. Sed quia hæc pupillaris substitutio non fit nisi in testamento, quod multi usque ad horam mortis differre consueverunt, ideo adultera semper sollicita esse debet, ut a marito, dum sanus est, discat quem relicurus esset hæredem, si filium non haberet. Et quum id certo didicerit ab illo, id quod filius spurcius retinet, restituet illi quem maritus reliquisset hæredem, si sciret se filium non habere, & non consanguineis succedentibus ab intestato. Quia etsi ille intestatus decessit, fuit propter dolum, qui illum a constitutione testamenti impedivit. Et penes illam mulierem adulteram quæ optime novit sui mariti voluntatem, illa voluntas tam aperte

aperte & sine ulla fictione declarata satis est pro testamento. Et ita non possum aliud sentire, nisi quod mulier illa non debet alteri restituere, nisi illi quem certo scit maritum suum fuisse relicturum hæredem, si ille scivisset se nullum habere filium.

His igitur omnibus de adultera sic declaratis, quæ oblata occasio me dicere coegit, opus est, ut ad primum hujus disputationis caput orationem revocemus, & ad obiectum nobis argumentum respondeamus. Primo ergo dico rem esse dubiam, & inter Jurisperitos controversam, an hæreticus, aut quisvis alius similis criminis reus incidat in poenas a jure latas, quando crimen illius sic est occultatum, ut nullo modo probari possit. Sant enim qui dicant ipso jure impostæ, inter crimen publicum, & occultum. Sunt rursus alii qui censent crimen occultum nulli poenæ canonicæ esse subiectum, quousque plene de illo constiterit. De qua re ego impræsentiarum nihil definire volo, propterea quod uno-integro capitulo de illa postea differere statui. Sed interim gratia disputationis, ut experiamur quantæ sunt hujus prioris argumenti vires, concedere decrevi omnem illum cui propter suum crimen est ipso jure omnium bonorum privato irrogata, incidere in illam poenam etiam si crimen sit occultum. Sed tunc ille non erit obligatus bona illa, quibus propter suum crimen est ipso jure privatus, reddere fisco, si id sine famæ suæ dispendio efficere non valet, prout nunc proxime de muliere adultera diximus. Debet quidem meliori qua poterit via procurare, ut salva fama sua bona illa reddantur fisco, prout fecisset, si illa furto ex eodem fisco clam surripuisset. Non sum enim adeo insipiens, ut dicens esse obligatum reddere bona sua fisco, intelligam illum propria manu debere illa reddere, & dicere se illa bona reddere, quia tale, aut tale crimen commisit, propter quod fuit illorum bonorum dominio ipso jure privatus. Hoc enim sentire summæ esset dementia: & quod de fare occulto, qui res ab alio clam surripuit, dicere non audeam, immo potius illum ab hoc proposito revocarem, si viderem illum in eo esse firmum. Aliena manu, & secretissime illa tunc sunt reddenda, ut potius famæ propriæ quam alieni restitutionsi consulatur. Et si nulla patet via quæ sine propriæ famæ læsione bona illa possint reddi, tunc censeo illum non obligari ad reddendum, sicut nec surripulari ad restituendum, si tamen esset vallatus angustia, ut sine suæ famæ incommodo restituere non posset. Quia (ut a principio dixi) nullus restituere obligatur, quando ad talem restitutionem faciendam, majus aliunde cogitur damnum pati, quam valeat res quæ deberet restitui. Diligentissime tamen prius viam hinc inde inquirere debet, ut bona illa absque ullo famæ suæ periculo reddere valeat. Quam si inveaerit, absque dubio bona illa quibus est privatus, obligabitur reddere, etiam si illum præteriti criminis poenitet. Quia sicut per poenitentiam (ut dicitur in capitulo, Vergenis de hæreticis) non necessario recuperatur bonorum dominium, quod fuerat per peccatum amissum, ita nec per eandem poenitentiam tollitur obligatio, quam ad reddendum bona habet.

Secundo principali argumento nostram sententiam oppugnant, sic dicentes: Ecclesia permittit hæreticum retinere possessionem bonorum quæ ante habebat, usque ad sui criminis damnationem: ergo hæreticus ante sui criminis damnationem non obligatur illa reddere fisco. Consequentia probatur, quia quicumque juxta id quod sibi per legem permittitur, agere licet. Antecedens vero probant ad-

versarii per illud caput, Cum secundum leges, §. Confiscationis, de hæreticis, libro sexto. Et confirmatur hoc argumentum, quia etsi lex privet hæreticum dominio, nulla tamen est lex, quæ privet hæreticum, aut alium similibus criminis reum possessione bonorum suorum: ergo usque ad iudicis sententiam licite potest illa retinere. Hoc etiam argumentum (ut ab his qui audierunt intellexi) obicit contra meam sententiam in publico Gymnasio Complutensi ille idem vir doctus, de quo in præcedenti argumento dixi. Quantas autem vires hoc argumentum habeat, ex nostra responsione patebit. Sed ut melius, & apertius illi respondeamus, oportet distinguere de permissione, cujus meminit in antecedente. Varia siquidem est permissionis significatio. Nam aliquando permitti dicitur id quod non punitur, etiam si malum sit. Sæpe enim mala dissimulantur, & sine punitione relinquuntur, ut majus malum eviteretur. Quoniam (ut dicitur in cap. Duo mala, dist. 13.) licet omne malum sit vitandum, tamen si periculi necessitas unum ex duobus perpetrare compulerit, id debet sumi quod minori nexu noscitur obligare. Et ob hanc causam tolerantur meretrices in populo, ne illis prohibitis multo majora mala inde oriuntur. Et juxta hanc permissionis significationem (ut doctissimis aliquibus Theologis placet) locutus est Salvator noster, quum Pharisæis probare volentibus licitum esse viro dimittere uxorem suam, propterea quod Moyses iussit dari libellam repudii, respondit sic dicens: (Math. 19.) Moyses ad duritiam cordis vestri, permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic. Ideo tunc illud a Moysse permittitur esse dicunt, ut homicidium, quod multo pejus est adulterio, per hanc permissionem vitaretur. Et inde deducunt Judæos tunc peccasse, quum prioribus uxoribus dimissis alias ducebant. Quia licet sic facientes poenam adulterii vitabant, non tamen excubant culpam: & huic sententiæ favet apertissime Chryostomus, qui in opere imperfecto super Matthæum, homilia trigesima tertia, interpretans illa Christi Salvatoris verba, quæ nunc proxime citavimus, hæc quæ sequuntur ait: „Frequenter vobis Moyses propter duritiam vestram, injustitiam, quasi justitiam præcepit, ut in Eremito hostias offerretis, Deo. Et paucis interjectis, subdit: Videns itaque Moyses propter dilectionem carnalem circa studia sacrificiorum esse inclinatos, si mandasset eos recedere a sacrificiis, non fuerat audiendus, Quia annosa passio mendicamento momentaneo non curatur. Iussit eos sacrificare quidem, sed jam non dæmonibus, sicut in Ægypto, sed Deo vivo. Dimidium mali permisit, ne totum perderet bonum. Hac ratione permisit vos dare libellam repudii, quia melius judicavit permittente lege, matrimonia solvi, quam odio compellente homicidium fieri. Permisit vobis mala facere, ne faceretis peiora. Ergo hæc vobis permittendo, non vobis justitiam Dei demonstravit, sed a peccato abstulit culpam peccandi, ut quasi secundum legem agentibus vobis peccatum vitaretur non videatur esse peccatum. Et post pauca, iterum ait: Propterea bene dixi, quia Moyses hoc permisit, non præcepit. Aliud est præcipere, aliud est permittere. Quod enim præcipimus, semper placet: quod autem permittimus, nolentes peccatum: quia malam voluntatem hominum ad plenum prohibere non possumus. Hæctenus Chryostomus. In quibus verbis id video interpretatione indigere, quod dixit Moyses a peccato abstulisse culpam peccandi. Quibus verbis intelligit Moysen per legem suam abstulisse poenam quæ merito de-



fuis bonis privatus, quum reddidit sua bona fisco, se ipsum diffamat: ergo ne se ipsum diffamet, obligatur non reddere bona sua fisco. Hoc argumentum obicit contra meam opinionem quidam vir doctus Theologus, dum publice in schola Salmanticensi Theologiam doceret. Idem argumentum audio in Complutensi publico Gymnasio fuisse obiectum à quodam docto viro illic Theologiam interpretante. Sed (ut iugene & candide loquar) non possum non mirari, quod viri tam docti, quantum illi existimantur, & vere sunt, tam debili argumento sint persuasi ad rejiciendum hanc, quam ego tueor, sententiam. Hoc argumentum non est peculiare pro heretico, aut pro omni illo qui propter suum crimen est ipso jure suis bonis privatus, nec magis pro illo pugnat, quam pro fure, qui aliqua in abscondito furtivipisset à fisco. Ponamus enim (ut rem faciamus peritiorem) Petrum, qui alias fere nihil in bonis corporalibus habebat, paulatim ex rebus furto à fisco sublati ditatum esse. Quis negabit, istum furem obligatum esse ad reddendum fisco omnia quæ ab illo surripuit? Immo etiam omnia illa in quibus factus est locupletior virtute rerum furtivarum? Attamen fur ille, si restituerit fisco bona quæ ab illo surripuit, se ipsum diffamaret. Et ita simillima consequentia licet inferre furem, ne se ipsum diffamet, non esse obligatum ad restituendum fisco id, quod furto surripuit ab eo. Sicut illi facile respondere possunt huic argumento, quod nunc pro fure feci; eodem modo ego etiam facile respondere potero argumento, quod illi pro heretico faciunt. Una est enim utriusque argumenti solutio, & illam nunc reddere volo. Et pro clariori responsione intelligantia, oportet hic prius proponere ob oculos regulam quandam, quam statuit Scotus de restitutione loquens. Numquam aliquis tenetur ad restitutionem alicui certæ personæ faciendam, quando multo majus damnum patietur pro illius restitutione, quam valere possit res ipsa illi cui est restituenda. Quia eo eventu ipse dominus rei debet velle, ne res sua, quæ modica est, cum maximo damno alterius sibi restituatur. Debet enim quilibet magis velle, inquit Scotus, quod vitetur magnum incommodum proximi restituendis, quam modicum incommodum suum. Et hinc deducit ille, quod quando dominus rei est absens, & qui debet rem restituere, multo majores expensas facturus est, si illam mittat ad ipsum dominum, quam res illa possit illi cui mittitur valere, non tenetur illi mittere, sed satisfacit, si pauperibus illam dederit ad utilitatem spirituales illius, cui mittenda erat. Quia (ut ille inquit) cum corporaliter non potest, redditur spiritualiter, dando illam pauperibus, pro vero illius domino. Ex eadem ratione colligit, posse restitutionem differri, quando ipsa restituitio vergeret in infamiam restituentis. Tunc enim optime salva conscientia potest expectare temporis opportunitatem, ut sine suæ famæ detrimento possit rem alienam suo domino reddere. Hac tamen conditione dicit restitutionem posse differri, ut semper in voto habeat restituere, quum primum sua fama servata id facere poterit. Et si non sperat sine suæ famæ læsione id facere posse, erit prorsus liber ab obligatione restitutionis. Quia (ut Salomonem dixisse memini *Prov. 22.*) melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ. Ob hanc causam fere omnes Theologi concorditer sentiunt, mulierem, quæ ex adulterio concepit, & peperit filium, non debere id revelare marito, aut filio suo, ut hac via filium ab hereditate mariti excludat, in qua scit, illum nihil prorsus habere, quia scit non esse sui mariti filium. Hæc enim mulier, si crimen suum marito, aut filio revelaret, ut hac via hæreditas mariti veris

illius hæreditibus restitueretur, majus sibi damnum, quam hæreditibus commodum inferret. Nam ipsa aperte famæ jacturam, & mortis periculum pateretur, quorum utrumque est illi multo majus damnum, quam esset hæreditibus mariti carere hæreditate illa. Sicut enim fama & vita corporalis sunt multo meliora omnibus divitiis, ita è contrario infamia & mors sunt multo pejora quibuscumque divitiis. Et inde sequitur, ut mulier adultera liberetur ab obligatione restituendi hæreditatem, quam filius spurius acceperit, ut accepturus est, si talem restitutionem sine famæ suæ dispendio facere non potest. Quia (ut dixi) non obligatur restituere, quando talis restituitio faciendæ est cum jactura rei multo pretiosioris, quam sit res ipsa restituenda. Tunc enim ipse creditor, cui hæreditas ipsa restitui deberet, ex lege Charitatis obligatur magis velle se rem illam carere, quam illam cum tanto damno sibi restituat. Præterea, pauper in ultima vitæ necessitate constitutus, potest ad suæ vitæ conservationem non solum aliena retinere, sed etiam à divite surripere: ergo mulier adultera timens se à marito occidendam, si crimen suum illi detexerit, poterit filium suum spurium permittere, ut mariti sui hæreditatem capiat. Consequentia ista est nota: quia tantum est necessaria ad vitam hujus mulieris adulteræ illa hæreditatis acceptio, quantum ad vitam pauperi captivi pecunie à divite. Et inde evidenter colligitur, ut sicut pauper pro vita servanda potest alienum capere, ita mulier adultera pro sua vita servanda possit suum crimen capere, & permittere, ut filius suus spurius alienam hæreditatem capiat. Rursum, quando aliquis sic perplexus, ut necessarium sit illi duorum malorum alterum eligere, semper debet eligere minus, ut vitetur majus. Hoc enim aperte docet Concilii Toletani definitio, quæ habetur in cap. Duo mala, dist. 23. At mulier quæ ex adulterio concepit, & peperit, hæc necessitate constringitur, ut quocumque se vertat, in alterum duorum malorum incidat. Si adulterium suum celat, eo ipso est causa quod filius suus alienam hæreditatem capiat. Si illud revelat marito, mortem aut saltem infamiam patietur, quorum utrumque est majus malum, quam alieni retentio. Quia si majus malum est famam proximi, quam illius divitias rapere, multo majus malum erit famam propriam rapere, quam alienas divitias retinere. Nam sicut magis obligor me, quam proximum diligere, ita magis debeo famam meam, quam famam proximi illæsam servare. Ergo ex illis duobus malis præstat, ut mulier permittat filio suo spurio alienam hæreditatem capere, quia hoc est minus malum, quam se ipsam infamare. Nec valet responsio Adriani contrariam opinionem tenentis, qui, ut hujus argumenti vires effugiat, interpretatur illud cap. Duo mala, intelligendum esse de malis, quorum alteram necesse sit hominem facere, & non quando unum debet facere, & alterum permittere. In præsentis autem negotii dicit esse comparationem inter malum facere, quod est omittere restitutionem, & mala aliorum finire. Et dicit minus malum esse aliorum mala permittere, quam aliorum mala suo crimine impedire. Sed in hac responsione bis aperitissime errat Adrianus. Primo quidem errat, quum ponit differentiam inter illa duo, per facere & permittere, dicens unum pertinere ad actionem, & alterum ad permissionem. Nam cum utrumque illorum eandem prorsus habeat facti conditionem, oportet, ut utrumque illorum eodem etiam nomine censetur. Sicut enim mulier adultera crimen suum occultum tegendo, non præcipit filio spurio, aut consulti illi, ut hæreditatem sui mariti capiat, sed solum facit aliquid, & omittit facere aliud, unde sequitur,

II. mo ut

ut filius talem alienam hæreditatem capiat: Ita revelando crimen suum occultum marito, non præcipit, aut consultat illi, ut ipsam interficiat; sed solum facit aliquid, unde verisimile est ipsius occisionem oriri. Et sicut revelando crimen suum occultum marito, potest impedire, ne filius spurius accipiat mariti hæreditatem; ita tegendo idem crimen, potest impedire suam infamiam, & sui occisionem. Ergo si revelare crimen suum, est permittere sui occisionem, ut Adrianus censet; oportet, ut tacere crimen suum sit etiam permittere alienæ rei accisionem, aut detentionem. Consequentia est manifesta: quia utrobique contingit nolle impedire, quum possit: quod est vere permittere. Secundo, aperte errat Adrianus: quia etsi daremus illi, mulierem adulteram tegendo crimen suum vere facere, ut filius spurius alienam hæreditatem capiat, aut retineat, multo majori ratione fieri cogitur ipse Adrianus, mulierem illam crimen suum revelando facere ad infamiam suam, quamvis non sic faciat ad sui necem. Nam quum crimen suum revelat, non solum se habet omisive non impediendo infamiam suam, quum posset, sed facit aliquid, unde talis infamia sequitur. Quamvis igitur talis criminis revelatio ad occisionem relata, possit dici permissio, ad infamiam tamen comparata, non potest dici nisi actio: quia illa est prima, & potissima causa, quæ infamiam efficere valet. Omissa ergo illius mulieris interfectione, capiamus illius infamiam, & ad illam solum comparemus alienæ hæreditatis accisionem, aut retentionem: & cum utrumque illorum sit facere, & necesse sit mulierem adulteram illorum alterum facere, ut se infamare peccatum suum revelando, aut alienum retinere peccatum suum tegendo: oportebit necessario, ut crimen suum occultando, alienum retineat; quod multo minus est malum, quam se infamare, adulterium suum marito revelando. Et ad hoc apertius convincendum, vehementer urget, quod se infamando, non est certa quod alterum malum evitabit, videlicet alieni accisionem, aut detentionem. Quia licet illa dicat marito, & ille credat, filius tamen non obligatur credere illi. Quia cum sit natus in domo, & marito præsentem, & nulla infirmitate impedito, jus præsumit illum esse filium mariti, l. Filium, ff. de his qui sunt sui, vel alieni juris. Et contra hanc juris præsumptionem filius credere non tenetur, nisi veritas tam evidenter probetur, ut nulla possit tergiversatione celari. Tunc enim licet in foro exteriori posset juxta præsumptionem juris agere, in conscientia tamen obligaretur agere juxta veritatem sibi evidenter probatam: quia veritas semper est præferenda præsumptioni. Sed tunc filius etsi credere teneatur matri veritatem dicenti & probanti, cupiditate tamen hereditatis & honoris sollicitate & urgente forte magis præsumptionem sequetur, quam veritatem; ne hereditatem & honorem amittat. Cum igitur liberum sit filio spurio non credere matri dicens illum non esse mariti filium, convincitur vanum & frustraneum esse, quod uxor adultera revelat marito suum crimen. Quia licet maritus ob dictum uxoris excludat illum in testamento ab hereditate sua; filius tamen poterit, si velit, contra testamentum ex juris præsumptione agere. Petrus Paludanus, qui (ut Adrianus refert) contrariam tenet sententiam, respondet huic argumento, dicens, mulierem adulteram obligatam esse ad revelandum crimen suum filio, ut hac via illum ab hereditate teneat, quamvis certo sciat filium minime illi crediturum. Et dar simile de prædicatore, qui tenetur predicare veritatem impio, quamvis certo sciat, illum minime crediturum. Adrianus Paludanum in hac parte sequutus, dat aliud

simile de illo, qui cum pluribus aliis infamavit innocentem. Hic enim obligatur se infamare, & palloquiam cantare, ut pro sua parte famam innocentem restituat, quamvis sciat sibi non esse præstandam fidem, propterea quod videt alios, qui secum illum infamarunt, in sua priori sententia persistere. Sed nullum istorum similitum habet plenam cum negotio, de quo nunc agimus, similitudinem. Nam quod Petrus Paludanus de prædicatore dicit esse valde simile, fallitur, quia auditor prædicatoris veritatem prædicantis tenetur prædicatori credere, & ita prædicator obligatur ad prædicandum. Quod si alius non crediderit, nullum ex tali prædicatione sequitur damnum prædicatori. Filius vero spurius non obligatur (ut diximus) credere matri, & mater ex tali revelatione magnum patitur damnum, videlicet infamiam suam. Exemplum aliud, quod obtulit Adrianus, longissime distat a præsentis negotio, tantum abest, ut perfecte simile dici possit. Nam is qui se infamavit revocando dictum suum, ut alteri famam, quam ab eo abstulit, illi restituat, non infert sibi majus damnum, quam valet res quam alteri reddit, sed tantum solummodo ipse perdit, quantum alteri reddit. Nihil enim aliud illi reddit nisi famam, quam solum ipse amittit. Et ideo si se speret alios credituros, si se non obligatur famam illi restituere, & pro illa, quantum poterit, laborare. Quod si alios in sua sententia persistere viderit, debet confidere, illos aliquando sententiam mutaturos, & sic ipse facit quod potest. Si vero ad restitutionem famæ alterius oportet non solum famam suam, sed etiam vitam corporalem amittere, ut contingit in eo qui libellum famosum edidit, qui, si se prodiderit, morte punietur, si res de qua alium infamavit, digna erat morte. l. Si quis, C. de famosis libellis, tunc quibusdam videtur quod non debet se prodere: quia restituendo alteri famam, mortem sibi pararet, quæ (ut illi ajunt) majus est malum, quam infamia. Sed alii hoc dubium vident, propter id quod Ecclesiasticus Sapiens ait cap. 26. *Atribus timet cor meum, & in quarto facies mea metuit, delaturam civitatis, & collectionem populi, & calumniam mendacem; super mortem omnia gravia.* In quibus verbis aperte dicit calumniam mendacem esse morte peiorem. De qua re nihil impræsentiarum desinare volo, sed liberum lectori judicium relinquo. Mulier autem adultera suum peccatum revelando, multo majus sibi infert damnum, quam vere valet hæreditas quam filius spurius recipere, aut retinere potest: & ideo etiam si consideret, filium illi præbiturum fidem, non debet se ullo pacto infamare, ut hæreditas mariti veris illius hæreditibus reddatur: sed alia via sine famæ suæ dispendio debet niti, ut legitimis mariti hæreditas tantumdem, vel parum minus reddatur. Quia nunquam (ut dixi) obligatur aliquis restituere, quando multo magis aliunde se ipsum lædit pro tali restitutione faciendâ, quam valet res ipsa, quæ restitui deberet. Is autem, qui pro tali damno evitando rem alienam possidet, non est dicendus tenere illam invito domino. Quia licet dominus actu nolit rem suam ab illo retineri, tamen juxta reclam rationem deberet velle illam retineri ab illo, ne cum tanto illius damno illam restituat: sicut petens enssem suum ab alio custoditum, obligatur velle, ut non sibi reddatur à custode ad percipiendum innocentem. Et pro hac re quam de muliere adultera tractamus, est aperta definitio in cap. Officii, de penitentis & remissionibus, ubi Papa præcipit non esse denegandam penitentiam mulieri adulteræ, aut quæ falsum supposuit partum, sed dicit competentem satisfactionem esse illi injungendam. Et hujus definitionis causam

glos.



functus fuisset obligatus ad illud. Ex illis autem quæ Abbas citat in l. Commissa, ff. de Publicanis, & Vectigalibus, aut ex textu cap. Accusatus, quod ego citavi, non potest probari hæreses, præsertim si illis non constat de crimine defuncti esse obligatos in conscientia ad reddendum fisco bona defuncti, ante illius condemnationem: sed solum probatur illos esse obligatos in conscientia ad reddendum fisco bona defuncti, postquam declaratum fuerit illum commississe crimen, propter quod fuit ipso jure suis bonis privatus. Et inde non licet colligere, nisi quod defunctus eodem modo esset obligatus reddere fisco, post sui criminis declarationem. Et sic aperte ostenditur debilitatum esse Abbas argumentum. Quia arguens ab hæredibus ad defunctum, non majorem potest hac ratione colligere obligationem fuisse in defuncto, quam consisteret esse in hæredibus. De hæredibus non convincitur per citata ab eo, quod obligati sint in conscientia ad reddendum fisco bona defuncti, ante illius condemnationem: ergo inde non licet inferre talem obligationem fuisse in fisco ante illius condemnationem. Et hinc sicut ex multis aliis locis constare potest, quam male argumentantur Jurisperiti, ob solam Dialecticæ ignorantiam, quam si bene caluissent, multo melius argumentarentur quam faciunt. Argumentum illud ad hoc optime valere potest, ut contra Archidiaconum probet hæreticum, aut quemlibet alium similis criminis reum esse à die commissi criminis ipso jure privatum, & nullum ex tunc in illis bonis habere dominium, etiam ante criminis declarationem. Nam si hæreticus sine condemnatione sui criminis defunctus, tunc verum habebat bonorum dominium, necessario consequens est, ut per mortem suam illud transtulerit in hæredem. Si post mortem hæretici hæres habet verum dominium: ergo licet hæreticus post mortem de suo crimine damnatur, non poterit jam hæres illius bonorum illorum dominio privari. Quia nunquam aliquis sine culpa vera, aut justè præsumpta privari potest dominio bonorum suorum.

Jam opus est ut proferam patronos, qui hanc meam sententiam ante me docuerunt, & illam quoad possunt tuerentur, ne quis me solum in hac sententia esse, & ob hoc illam contemnendam putet. Abbas non tunc tantum loco hanc docet sententiam, ut vel sic ostenderet se in illa esse constantem. Nam in cap. Canonum, de constitutionibus, postquam generaliter dixerat legem poenalem non obligare in conscientia ad poenam, hæc quæ sequuntur ait: Hoc limitarem, nisi lex imponeret poenam ipso facto, aut quia ipso facto publicat bona alicujus: quia tunc non puto quod possit retinere bona publicata cum bona conscientia. Quia jus est statim acquisitum fisco, ut notatur in l. Commissa, ff. de publicis; & in cap. 2. de Præscript. lib. 6. Hæc ille. Et eandem sententiam repetit, & latius prosequitur in cap. Dilecti, de arbitris, sic dicens: Prædicta ego limito, ubi poena venit imponenda per judicem; secus puto ubi poena esset imposita ipso facto. Pone exemplum in committentem crimen læsæ majestatis, vel hæresis. Nam in continentem bona confiscantur, ut in cap. Vergentis, infra de hæret. & in cap. Cum secundum leges, eodem tit. lib. 6. & in l. Quisquis C. ad legem Juliam majest. Cum enim hæc bona sint jam applicata fisco, & iste criminofus sit privatus dominio, non videtur quod eum bona conscientia possit amplius ille bona retinere. Facit quoad in simili notat. in l. Commissa, ff. de publicanis, ubi poena ipso facto commissæ exigitur ab hærede, licet alias hæres non teneatur ex delicto defuncti, C. Ne ex delictis defunctorum, per totum. Hactenus Abbas, qui aperte meam

tuetur sententiam, quamvis non bene illam probet. Felinus in cap. Canonum, num. 43. citat opinionem Abbas, & laudat illam, & postea dicit in legibus poenalibus quæ sententiam continent à jure latam, requiri sententiam criminis declarativam, non ad hoc, ut reus incidat in poenam, quia sine tali sententia (ut ait) statim criminis reus incidit in illam, sed ad hoc ut fisco possit apprehendere bona. Hujus verba pro hac sententia non est opus impræsentiarum citare, quia in cap. proxime procedenti, fuerunt jam per me citata. Sed post illa verba quæ supra in alium finem citavi, statim alia dicit quæ huic sententiæ de qua nunc disputamus, valde suffragantur, & sunt quæ sequuntur. Si delictum est notorium, non est necessaria alia declaratio secundum dominum Abbatem in Clement. Præfati, de censibus, & cap. Cum non ab homine, de Judiciis, & Dominicum in dicto cap. Cum secundum leges. Si ergo poena est debita, ipso jure, licet non possit exigi, non restat quin quantum ad Deum reus non teneatur rem vere alteri debitam restituere. Alias enim esset parva differentia an poena imponatur ipso jure, an per sententiam, si semper inciperet esse debita solum à die declarationis, sed declaratio fit ut sciatur delictum, ut est dictum. Hactenus Felinus. In cujus verbis inter alia id potissimum ego annoto quod aperte favet illi sententiæ, pro qua ego tam vehementer pugnavi in primo principali argumento, in quo multis exemplis probari contendit hanc consequentiam nihil proferri posse. Fiscus ante sententiam criminis declarativam non potest capere bona illius qui crimen commisit: ergo criminis reus non teneatur illa reddere. Et hoc idem nunc aperte dicit Felinus his verbis. Si poena est debita ipso jure, licet non possit exigi, non restat quin quantum ad Deum reus non teneatur rem vere alteri debitam restituere. Quam in opere illo quod de Justa Hæreticorum punitione inscripsi, hanc de qua nunc disputamus, sententiam asserui, docens consequentiam illam nullius profusus roboris esse, testor Deum quod hæc verba Felini quæ modo citavi, non legeram, sed mea tantum minerva ductus id asserui, propterea quod aliud dici non posse firmissime credebam, & aperte agnoscebam. Postea vero videns me ob hanc causam ab aliquibus Jurisperitis, & Theologis impetitur, quod male intelligerem cap. Cum secundum leges, in §. Confiscationis, in quo ego negabam, & hactenus nego concedi hæretico bonorum suorum possessionem, usque ad sententiam criminis declarativam, quotquot porri pro hac re evolvi scriptores, querens si forte aliquis in illo §. Confiscationis, idem adverberet quod ego. Et tandem inveni Felinum, qui in eadem sententia esse mecum, & illam annotare monet, tanquam à nullo alio ante illum prolata. Quod cum ego legi, nimium sui exhilaratus, propterea quod jam videbam me non esse solum in ea sententia, sed invenisse socium non debilem, qui mecum pro illa pugnaret. Guillelmus Maynerius novissimus omnium, quos ego de hac re differere novi in fertilissimis illis commentariis quæ adidit super tit. ff. de Reg. juris. Abbas sententiam in hac parte tuerit, nec latum digrum ab illa separatus. Nam in regula. Quod à quoquam, differens de lege poenali, quando & quomodo obligat ad poenam, postquam ex sententia gloriæ, in capite Fratemitas 12. quæst. 2. dixit legem poenalem non obligare ad poenam, in foro conscientia, hæc quæ sequuntur subjungit. Prædicta tamen limitat Panormitanus, ubi poena venit imponenda per judicem: secus si à lege ipso facto reperiretur imposita,

ta, ut in læsa majestate, vel hæresis, ut in cap. Vergentis, extra de hæreticis, & Authentica; Gazaros, C. de hæreticis, & in cap. Cum secundum leges, eodem tit. lib. 6. & l. Quisquis, C. Ad legem Juliam majestatis, & notatur in leg. Post contractum, ff. de donationibus. Nam illa bona ipso jure sunt applicata fisco, & criminofus privatur dominio: ideo sine peccato illa retinere non potest. Facit l. Commissa, cum sua materia, ff. de publicanis, ubi poena exigitur ab hærede, licet alias non teneatur ex delicto defuncti, lege unica, C. ne ex delictis defunctorum. Hactenus Guillelmus Maynerius, qui per omnia in hac parte consensit Abbati, & illius subscribit sententiæ, motus eodem argumento quo ille.

Præter hos jam citatos possunt etiam in hac sententiam vocari, ut ipso jure etiam testimonium dicant, aliqui ex illis, quos supra in cap. 7. pro alterius conclusionis probatione, citavi. Nam Paulus de Castro (ut in verbis supra citatis inspicere licet) dixit, delinquentem antequam sit condemnatus, esse naturaliter obligatum ad poenam delicti, quando illa est ipso jure imposita. Barbatus dixit, quod ubicumque poena est imposita à lege ipso jure, quis non potest retinere in conscientia jus alteri quæsitum, & citat in sua sententiæ favorem Abbatem in illo sæpe citato cap. Canonum. Antonius Corsetus magistrum suum Barbarium sequutus, dixit, quod ubicumque poena imponitur ipso jure, à lege debetur, non solum in foro judiciali, sed etiam in foro conscientia, seu poenitentia. Sed multo apertius favet nostræ sententiæ, id quod Angelus de Perusio in Authentica de incestis nuptiis, dicere supra in eodem 7. cap. retulimus. Nam postquam dixerat non esse necessariam hominis sententiam, ut reus sit suis bonis privatus, quando lex ipsa jure privat illum; postea dixit, quod si tabellio est propter aliquod crimen privatus ipso jure officio suo, non poterit etiam ante sententiam laram contra eum, consecrare instrumenta: & si quæ consecrerit, nullius profusus erunt valoris. Quia (ut ille ait) ex quo lex privat illum officio, jure privat etiam eum fructu ipsius officii, qui consistit in instrumentorum consecratione. Et idem profusus, & eadem ratione dicere oportet de hæretico, & quovis alio similis criminis reo, quod si ipso jure privatus est bonis suis, etiam privatus sit usu illorum, & fructibus qui ex illis bonis provenire possunt. Alios quos in cap. 7. citavi, dicentes, non esse necessariam Judicis sententiam, ut quis incidat in poenam à lege ipso jure impositam, nolo eos nunc in favorem meum vocare; propterea quod hoc, de quo nunc in præsentiarum disputamus, non ita aperte asserunt sicut illud. Fatentur quidem illi omnes, hæreticum, aut læsæ majestatis, aut cuiusvis alterius similis criminis reum, statim post crimen commissum sine ulla alia Judicis sententiæ esse ipso jure omnibus bonis suis privatum. An autem sicut sunt bonis suis privati, ita sine Judicis sententiæ sint in conscientia obligati ad reddendum illa fisco, illi non expresserunt: & propterea eos in præsentiarum non voco, ut pro me hic testimonium dicant. Sed satis sunt mihi septem illi nunc proxime à me citati, qui aperte mihi suffragantur. Quos non ideo citavi, ut sola illorum auctoritate fretus, adversarios premere velim, sed ob hoc solum, ut omnibus constet hanc sententiam, pro qua hactenus in cap. contendi, non esse adeo desertam, ut nullum præter me habuerit patronum, atque tutorem. Ex quorum omnium testimonio aperte convincitur, me injuste à multis Theologis, & Jurisperitis fuisse ineulatum, & diffamatum. Nam multi hoc mihi exprobrant, quod tam asperæ sen-

tentia voverim esse primus inventor. Constat autem me non primum, nec septimum, sed multo posterius esse hujus sententiæ tutorem. Et ideo justius ego hoc illis exprobare possum, quod illi, quamvis Jurisperiti sint, non viderint alios suæ facultatis Doctores, qui hanc sententiam ante me dixerunt. Qua in re, si gloriarier licet, merito hanc gloriam mihi tribuere poterò, quod hanc mihi, & illis communem sententiam, apertius & clarius quam omnes illi tractaverim, & fortioribus rationibus & argumentis illam probaverim, quam omnes illi, qui ante me illam docuerunt.

Ex hac nostra assertione qua dicimus, illum qui ob crimen suum est ipso jure suis bonis privatus, esse obligatum reddere bona sua fisco, multæ emergunt quæstiones, de quibus in præsentiarum nihil dicere statui. Primo quidem oritur quæstio. An is qui sic est suis bonis privatus, possit sibi aliquid ex illis bonis in suum alimentum servare, an vero obligetur omnia illa reddere, nullo profusus illorum sibi servato. Deinde, an sit obligatus reddere simul omnia, an satis esset redditionem illam per partes dividere. Præterea, an statim postquam scivit se esse omnibus suis bonis à jure privatum, sit obligatus reddere, an possit expectare, ut ex bonis illis aliquid fructum capere possit, ut illo sibi servato, reliqua bona postea fisco reddat. Sed omnes hæc quæstiones, & aliæ similes, quæ ex hac nostra sententiæ oriri possunt, non sunt illi propria, ita ut nulli alteri negotio convenient: sed sunt communes omni disputationi, quæ circa alienarum rerum restitutionem versatur. Et ob hanc causam quia nihil peculiare hæc res habet, quod non sit aliis restitutionibus commune, illam reliqui disputandam & definiendam, ab his qui generaliter de omni restitutione differunt.

CAPUT XI. Respondetur rationibus & argumentis, quæ possunt objici ab illis, qui contrariam tuerentur opinionem.

licet multis evidentibusque rationibus probaverim, hæreticum, & quemcumque alium suis bonis ipso jure privatum, obligari in conscientia ad reddendum bona sua illi, cui ab eodem jure sunt adjudicata; sunt tamen adeo multi, præsertim juris humani periti, qui contrariam tuerentur sententiam, ut operosum esset illos omnes recensere. Sed non est operosum immo facile, & mihi valde jucundum respondere argumentis, quibus suam opinionem tueri, & nostram oppugnare conantur. Quoniam aliqua ex illis tam debilia sunt, ut nec pilum è suo loco movere valeant: alia vero in ipsosmet, à quibus objecta sunt, retorquebo, & ostendam plus pro me quam pro illis pugnare.

Primo quidem sic argumentantur. Si hæreticus redderet bona sua fisco, diffamaret se ipsum; Ecclesia autem non vult, immo forte hoc non posset præcipere, ut quis se ipsum diffamet. Ergo Ecclesia non obligat, nec obligare potest aliquem, ut reddat bona sua fisco. Præterea, quilibet est magis obligatus ad suam famam, quam ad reliquorum bonorum corporaliu conservationem, juxta sententiam Salomonis dicens: (Prov. 22.) Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ. Ergo etiam magis obligatur famam suam, quam bona fisci conservare: & per consequens, quam bona fisci retinet, illi reddere. Consequentia ista vel ex eo probatur, quod magis obligor diligere me, quam proximum. Sed hæreticus, aut quisvis alius ipso jure



betur peccato, & reliquisse peccatum impunitum: & hoc est Chrysofomo, auferre a peccato culpam peccandi. Eadem sententia faret etiam Hieronymus, qui in Commentariis super Matthæum prædicta Christi Salvatoris nostri verba interpretans, ait: „Moyfes cum videret propter desiderium secundarum conjugum, quæ vel ditiores, vel juniores, vel pulchriores essent, primas uxores interfici, aut malam vitam ducere, maluit indulgere discordiam, quam odia, & homicidia perseverare. Simul, que considera, quod non dixit: Propter duritiam cordis vestri permisit vobis Deus, sed Moyfes: ut juxta Apostolum, consilium sit hominis, non imperium Dei.“ Hæc Hieronymus. In cujus verbis id potissimum annotandum est, quod ille considerare admonuit, illum viri ab uxore discessum non esse Dei, sed hominis permissionem. Nam per hoc facile refelluntur ea quæ alii dicunt, ut tueantur talem viri ab uxore discessum fuisse in lege veteri, non solum sine pœna, sed etiam sine aliqua culpa.

Alio modo dicitur aliquid permitti, quia quum possit impediri ne fiat, non impeditur. Et hoc jure aliquando fit, non ut majus malum evitetur, sed ut majus bonum inde eliciatur. quam esset talis mali impedimentum. Nam est juxta Pauli sententiam, Rom. 4. non sint facienda mala, ut inde eveniant bona, tamen bene possunt mala non impediri, ut majus bonum inde eliciatur, quam esset illius mali prohibitio. Non enim dicendum est facere malum, quod illud non impedit, nisi forte talis esset qui ex officio suo esset obligatus malum illud impedire. Sed tunc si majus aliquid bonum occurreret, quam esset illius mali impedimentum, posset sine peccato non impedire: & tunc non esset facere malum, sed omittere minus bonum propter aliud majus. Hoc modo capitur nomen permissionis in cap. Judæi, de Judæis, & Sarracenis. Nam Ecclesia permittit Judæos inter Christianos habitare, & antiquas illas legis ceremonias servare, & non vult eos impedire ne suas servent ceremonias, quamvis facile id efficere posset, quia maximum est bonum quod ex tali Judæorum permissione Ecclesia elicit. Nam ex tali ceremoniarum observatione Ecclesia sumit ab ipsis hostibus testimonium ad confirmationem fidei Catholice quam tenemus. Quia ea quæ nunc Judæi observant, ostendunt fuisse olim in figura eorum quæ nunc fides Catholica docet; & ideo tales ceremonias nunc servari permittit, ut non sit opus aliunde testimonium petere, sed ipsis ceremoniis, quasi præsentibus testibus, utatur ad probandum illas in figuram, & prophetiam eorum quæ nunc habemus, olim fuisse mandatas. Unde Augustinus enarrans Psalmum quadagesimum prope finem, & declarans prophetiam illam: (Gen. 25.) Major serviet minori, ait: „Modo impletum est, modo fratres nobis serviunt Judæi, tamquam Casparii nostri sunt, studentibus nobis codices portant. Audite in quo nobis Judæi serviunt, & non sine causa. Cain ille frater major, qui occidit minorem fratrem, Gen. 4. accipit signum ne occideretur, id est, ut maneat ipse populus. Apud illos sunt Prophetae, & lex, in qua lege, & in quibus Prophetis Christus prædicatus est. Quando agimus cum paganis, & ostendimus hoc evenire modo in Ecclesia Christi, quod ante prædictum est de nomine Christi, de capite, & Corporis Christi, ne putent nos sioxisse illas prædicationes ex his rebus quæ acciderunt, quas existimant nos conscripsisse quasi futurae essent, proferimus codices Judæorum. Nempe Judæi inimici nostri sunt.“ Hæc Augustinus, eandem sententiam

docet beatus Gregorius in quadam epistola ad Paschasium Episcopum Neapolitanum, cujus verba citantur a Gratiano in capitulo, Qui sincera, distinctione 45. Hoc modo Deus etiam permittit multa mala a sceleratis hominibus fieri, quia illa non impedit ne fiant, quamvis id facillime efficere posset. Et quamvis non impedit ne fiant, tamen postquam perpetrata sunt, ipsos illorum auctores etiam in hac vita graviter punit, ut testantur Pharaon, & Antiochus, & Herodes. In his igitur non ideo mala permittit dicitur, quia inulta relinquit, sed quia ex illis bonum aliud multo majus elicere statuit, quam esset illius mali prohibitio. Nam Deus omnipotens cui rerum est summa potestas (ut Augustini verbis utar) cum summe bonus sit, nullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens, & bonus, ut bene faceret etiam de malo. Hæc autem Augustini verba non sic intelligenda sunt, ut putetur Deum malis ipsis virtutem, & potestatem ad bonum aliquid producendum tribuisse, quoniam hoc sentire summa esset dementia: sed quod Deus pro immensa sua bonitate ex illis malis capta occasione facit bona, quæ nisi mala præcessissent, non fuisset facturus. Juxta hanc permissionis significationem locuta est Judith, cap. 13. dicens: Non permisit me Dominus ancillam suam coquinari. Non permisit, quia impedivit Holofernem ne cum illa misceretur. Eadem vocis significatione usus est Propheta, Psalm. 80. quum in persona Dei loquens, dixit: Dimisisti eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. Dimisisse dicit, quia reliquit eos in arbitrio voluntatis suæ, & noluit impedire illos ne mala perpetrarent. Et hoc idem est quod Apostolus de Gentibus loquens, dixit: (Rom. 1.) Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum. Tradidisse dicit: quia impedire noluit illorum desideria, ne illorum compotes fierent. Isti duo modi permissionis, qui sunt, aut non puniendo, aut non impediendo malum quod posset impediri, semper sunt respectu mali, & non respectu boni. Si quid igitur aliquo istorum duorum modorum permittitur, eo ipso convincitur esse malum.

Tertio modo aliquid permitti dicitur, quia concessum sive id communi lege omnibus concedatur, sive privilegio particulari concessum. Et hæc est magis propria hujus vocis significatione, & qua frequentius eloquentes viri utuntur. Nam Tullius in libro quarto Rhetoricorum ad Herennium, in capite, ubi de repetitione disserit, permissionem declarans juxta hanc solam significationem illam interpretatur, sic inquit: Permissio est, cum ostendimus in dicendo nos aliquam rem totam tradere, & concedere alicujus voluntati, sic. Quoniam omnibus rebus ereptis solum mihi superest animus & corpus, hæc ipsa quæ mihi de multis sola relicta sunt, vobis & vestra condono potestati. Hæc Tullius. Ex quibus verbis constat permissionem pro concessione, aut condonatione accipi. Juxta hanc significationem usus est voce permissionis Lucas, quum enarrans qualiter Christus Salvator noster egeret a quodam homine legionem dæmonum, qui corpus illius possidebant, dixit: (Luc. 8.) Rogabant eum, ut permitteret eis in porcos ingredi, & permisit illis. Permittere dicit, pro concedere, quamquam possit etiam dici possum esse pro non impedire. Hoc modo sumitur permissionis nomen in capitulo, Omnis, distinctione tertia, ubi dicitur permissionem legis esse, ut vir fortis petat præmium. Hoc modo Apostolus (1. Cor. 7.) secundas permittit nuptias, non quia malas, sed quia nullo jure divino prohibitas, immo

potius per indulgentiam concessas. Hoc modo Gregorius Papa permisit Anglis, qui tunc noviter ad Christi fidem fuerant conversi, ut intra quartum consanguinitatis gradum matrimonium contraherent, ut patet per ejus epistolam quam Augustino Anglorum Episcopo, de hac re scripsit. Permisit quidem illis talia matrimonium contrahere, non ut sic contrahentes solam pœnam, & non culpam evitarent, sed potius sic permittens indulserit illis, ut sine peccato facerent, quod alias sine peccato facere non possent. Hujusmodi permissio quasi quædam est juris dispensatio.

Cum igitur tam varia sit permissionis significatio, ut perfectè & clare argumento mihi obiecto respondeam, opus est, ut ab ipso arguente petam qua significatione permissionis utitur in illo argumento, quum dicit Ecclesiam permittit hæretico, ut ante sui criminis condemnationem possideat bona, quibus propter suum crimen est ipso jure privatus. Si capit in primo modo, ut idem valeat ac non punire, aut secundo modo pro eo quod est non impedire, certe in utraque istorum significationum sensum destruit arguens, & pro me apertissime pugnat; tantum abest, ut suo argumento mihi noceat. Nam (ut diximus) utraque illarum permissionum versatur circa id quod malum est, & peccatum. Cum enim solum peccatum sit punitione dignum, oportet etiam, ut solum peccatum ob id permitti dicatur, quod non punitur. Solum etiam peccatum est quod semper & ubique merito prohiberi & impediri debet. Nam ea quæ non sunt peccata, est aliquando & alicubi propter aliquas circumstantias prohiberi, & impediri possunt, non tamen sunt talia, ut semper, & ubique impediri debeant. Et inde evenit, ut quod dignum est prohibitione, & impedimento, quamvis propter aliquod majus bonum inde eliciendum tunc non impediatur, semper sit dicendum malum. Et de his quæ utroque istorum duorum modorum permittuntur, aut tolerantur, intelligendum est id quod Innocentius Papa, hujus nominis tertius, ait in cap. Cum jam dudum, de præbendis, & dignitatibus. Multa, inquit ille, per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitia, non debeant tolerari. Hæc ille. Si arguens in suo argumento, & dicens Ecclesiam permittit hæretico, ut possideat bona quibus est ipso jure privatus, intelligit de permissione juxta primam, aut secundam illius significationem, eo ipso fatetur possessionem illam esse malam & peccatum: quoniam nisi esset peccatum, non diceretur altero illorum modorum permitti. Si talis bonorum possessio est peccatum: ergo hæreticus, ut tale peccatum evitet, obligatur non possidere illa bona, & per consequens obligatur reddere illa fisco, qui est verus illorum dominus. Præterea, etiam si loquatur de permissione juxta primam, aut secundam illius vocis significationem, falsum est quod Ecclesia permittit hæretico, quousque sit de suo crimine damnatus, ut possideat bona quibus est propter suum crimen ipso jure privatus. Nam si crimen est occultum, & Ecclesia illud ignorat, numquam diceret illud permittit, quamvis illud non puniat, aut non impediatur. Est enim permissio actus voluntatis, & ideo non potest esse circa id quod est prorsus ignotum. Si crimen est publicum, Ecclesia laborat quantum potest ad illius punitionem & impedimentum. Nam in capite, Vergentis, de hæreticis, postquam statuit in terris Papæ quæ sunt temporali jurisdictioni illi subiectæ, bona hæreticorum publicari, postea hæc quæ sequuntur ait: Et in aliis idem præcipimus fieri, per potestates,

& Principes sæculares, quos ad id exequendum (si forte negligentes extiterint) per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compelli volumus, & mandamus, ut nec ad eos bona eorum ulterius revertantur, nisi eis ad cor revertentibus, & abnegantibus hæreticorum consortium misereri aliquis voluerit. Hæc Innocentius Papa tertius, in illo capitulo. Quis vifa hæc lege dicere audebit, Ecclesiam permittit hæreticis bonorum suorum possessionem, cum ex eadem lege constet illam summe laborare, & totum quod potest facere, ut ab ipsis hæreticis bona quæ habent, auferantur.

Fortè is qui secundum principale argumentum contra meam sententiam obicit, dicit se in argumento suo usum fuisse voce permissionis in tertia sola illius significatione, qua solam concessionem, aut condonationem exprimit. Si juxta hanc significationem verba loquitur, tunc falsum esse dico quod in eodem argumento assumit dicens, Ecclesiam permittit hæretico, usque ad sui condemnationem, ut bona, quibus est ipso jure privatus, possideat. Nam si hoc modo permittit idem est quod concedere, aut donare, oportet ut ostendat aperte ubi Ecclesia hoc concesserit, qui probare nititur Ecclesiam hoc permittit. Numquam autem Ecclesia (ut proxime præcedenti capitulo argumento primo ostendimus) talem bonorum possessionem hæreticis concessit, & inde sequitur, ut neque etiam permiserit juxta tertiam permissionis significationem. Et certe hoc diligenter, & curiose considerare oportet, quoniam hoc est primum & præcipuum fundamentum, unde tota hujus disputationis structura confurgit. Nam si ostenderit aperte Ecclesiam concessisse hæretico, usque ad sui condemnationem, ut bona quibus propter suum crimen est ipso jure privatus, possideat: non amplius pro mea sententia contra hæreticum contendam. At cum non possint ostendere talem concessionem fuisse ab Ecclesia factam, dignum esset ut adversarii faterentur hæreticum mala conscientia possidere bona quibus est ipso jure privatus. Deinde, & si gratis concederem Ecclesiam concessisse illud hæretico, nihil tamen inde colligi potest pro aliis qui propter alia crimina sunt ipso jure suis bonis privati: quia Ecclesia nihil de illorum pœna statuit, nec forte statuere potest, præsertim si sint crimina mere laica, & quæ nullam prorsus respectum habent ad spiritualia.

Tertio principali argumento nostra sententia oppugnatur, sic dicendo. Pœna constituit in pœna, & non in actione: ergo quoties pœna imponitur a lege, ad solam pœnam extendenda est, & non ad actionem. At aliquem reddere fisco bona, quibus propter suum crimen est ipso jure privatus, actio est, & non pœna: ergo nullus, quamvis sit ipso jure suis bonis privatus, obligatur illa reddere fisco. Hoc argumentum magis æstimat Cajetanus, & dicit esse notari dignum, ut aperte cognoscatur neminem unquam obligari ad reddendum bona, quamvis fuerit ipso jure illis privatus. Nam in Commentariis super 22. sancti Thomæ q. 62. art. 3. inquirens, quare in censuris a jure impostis nulla requiratur hominis sententia, cum tamen in aliis requiratur, respondet, in censuris nullam esse actionem, sed solam pœnam, & ideo non requiri hominis sententiam. Alias tamen dicit esse pœnas ad quantum executionem semper est necessaria aliqua actio, & ideo dicit esse expectandam judicis sententiam: quia ad talem actionem non obligatur reus ex virtute legis pœnalis, propterea quod pœna (ut ille ait) consistit in pati, & non in agere. Quibus per illum sic declaratis tandem hæc



hac quae sequuntur ait: Et tu notabis, & applicabis haec ad iurum, & statutorum, tam civilium, quam canonicorum intellectum, & rationem. Videbis enim quod pro quibusdam criminibus, puta haeresis, laesa majestatis, & hujusmodi poenae privationis bonorum ipso facto incurrendae imponantur; in quantum claudunt in se privationem, a lege infligi dicuntur: in quantum vero exigunt actionem, iudicis actum expectant. Unde dicuntur privati dominio rerum a lege, non tamen tenentur ea assignare fisco, nisi interveniat actio iudicis. Haec Cajetanus. Certe miror quod vir doctissimus, ut fuit Cajetanus, tam debili, & tam falso argumento fuerit victus. Sed dum ad mentem revoco quod non omnia possumus omnes, & quod quandoque bonus dormitat Homerus, statim mirari desino. Si argumentum illud alicujus esset momenti, etiam probaret illum qui per sententiam iudicis privatus esset dominio bonorum suorum, non esse obligatum ad reddendum bona sua. Quia poena ad quam damnatus est, consistit in pati (ut ille ait) & non in agere. Sed de hoc non est opus amplius differere, quia jam de illo disputavimus cap. 3. hujus libri secundi. Dimissa ergo poena imposita per iudicem, veniamus ad poenam quae est ipso jure per legem imposita, & videamus quam parum possit circa illam ratio Cajetani valere. Consequencia illius argumentationis est pessima. Nam ex hoc, quod poena consistit in pati, non licet inferre, neminem ratione poenae obligari ad agendum. Quia inde sequeretur neminem posse obligari in poenam delicti ad dandum elemosynam, aut cantandam, aut legendum, aut scribendum: quoniam haec omnia sunt actiones. Hoc tamen nullus vir doctus concederet, quia est omnia ad actiones pertinent, omne tamen agens (ut Aristoteles ait) in agendo repetitur. Et ideo licet ea parte qua agens agit, non sit illi poena talis actio: quatenus autem agendo repetitur, erit illi poena talis repassio, prout jam supra me declarasse memini in cap. 3. lib. 1. Potest ergo aliquis in poenam criminis sui obligari ad legendum orationes aliquas, ut per talem repassio nem poenam sentiat legendo. Potest etiam obligari ad dandum elemosynam: quia licet talis donatio sit actio, tamen propter repassio nem, hoc est, propter privationem bonorum, quae tali donationi respondet, dicitur poena, non quatenus dat, sed quatenus privatur eo quod dat. Et ob hanc causam non est Deo poena dare, quia quamvis ille aliquid donet, numquam tamen privatur aliquo quod habebat. Hominibus autem poena est aliquid dare, quia non possunt dare, nisi priventur eo quod donant. Quatenus ergo donant, non est poena, sed quatenus privantur eo quod donant. Alioqui elemosyna non diceretur opus poenale quemadmodum jejunium, nec per illam posset quis poenas peccato debitas redimere. Sic etiam in proposito negotio, quod haereticus, aut quisvis alius similis criminis reus reddat bona sua fisco, quatenus dat, non est illi poena, sed quatenus sic dando privatur possessione bonorum quae possidebat, est illi poena. Fateor ergo poenam consistere in passione, sed saepe talis passio non oritur nisi ab actione propria, ut est passio, quae oritur ex lectione, scriptio ne, cantu. Deinde, multum interest a quo quis patitur, & ita saepe solet poenam, quae ex passione oritur, augere conditio agentis. Libentius quis patitur magna ab uno, quam parva ab alio. Nam haec ratio Salvator noster suam exaggeravit passionem, quod a proprio discipulo fuerit traditus. *Si inimicus meus* (inquit ille Psalm. 54.) *maledixisset mihi, sustinuissem: atque verum tamen homo pacis meae, qui mecum dulces capiebat ci-*

*bos, magnificavit super me supplicationem.* Ita etiam non parum hominem torquet, quam a seipso pati cogitur, & ita augmentum est poenae, quod ipse reddens bona sua, seipsum privet bonis suis. Obligatur ergo saepe reus ob hanc causam non solum ad patiendum privationem bonorum, sed etiam ad reddendum illa, ut per talem donationem factam a se ipso, spoliatur bonis suis, & faciant majorem poenam sentiat, quanto laboriosius est a se quam ab alio pati. Et licet ex lege disputationis mihi tamquam respondentii non incumbat probare quod dico, sed solum respondere ad objecta: gratis tamen id efficere volo, propterea quia facile id me facturum confido. Multa siquidem mihi occurrunt testimonia, quibus plenissime probatur, reum in poenam sui criminis obligari non solum ad passionem, sed etiam ad actionem: non solum ad tolerandum quod bona sua capiuntur ab eo, sed etiam ad reddendum illi, cui per legem adjudicata sunt. Primo profero cap. Romana, §. Procuracione, de censibus, lib. 6. ubi illi, qui pecuniam pro visitatione, aut munus aliquid praeter id quod ad victum pertinet, recuperint, obligantur in conscientia ad dupli restitutionem. Quod autem illic sit perfecta obligatio in conscientia etiam ante iudicis sententiam, ex verbis in illo capitulo contentis apertissime convincitur, quia praecipit illic Papa ut non absolvantur a delicto, nisi duplum restituant. Praeterea, in Clementina, Quoniam, §. Sed & tales, de vita, & honestate Clericorum, Papa prohibet Clericis certum genus vestis, quod epithogium, seu tabardum vocat, ne illud federatum usque ad oram portent, & tam breve, quod vestis inferior notabiliter videatur, & qui contra hoc statutum tali veste usi fuerint, statuit, ut infra mensent teneantur illam dare pauperibus. In quibus verbis id potissimum annotare oportet, quod non praecipit Papa, ut vestis capiatur ab eis, & detur pauperibus, sed praecipit, ut illi teneantur dare pauperibus. Ex quibus verbis apertissime constat, illos virtute, & potestate illius legis poenalis esse obligatos non solum ad passionem, sed etiam ad actionem: quia non ad hoc solum obligantur, ut patiantur vestem tolli ab eis, sed ut ipsimet reddant. Praeter haec duo clarissima testimonia, quae nunc proxime ex communi jure protulimus, sunt adhuc alia non minus manifesta testimonia ex jure particulari. Nam in Constitutionibus Studii Salmanticensis editis a Martino Papa hujus nominis quinto, multae sunt poenales constitutiones obligantes reos ad reddendum certam aliquam pecuniam quantitatem, etiam ante iudicis condemnationem. Una illarum Constitutionum est in cap. 18. Altera habetur in cap. 21. Et quod utraque illarum obliget in conscientia sine ulla alia iudicis sententia, ex verbis illarum apertissime convincitur, quia utraque illarum praecipit, ut reus non absolvatur a sententia excommunicationis, quam ipso facto incurrit, nisi illam pecuniam per legem taxatam reddiderit. Verba istarum Constitutionum polui hic citare, quia supra in sexto cap. §. 3. hujus secundi libri pro alio negotio citaveram. Ad illum igitur locum mihi lectorum, ut ibi legat, si aliquid in eis videre desiderat. In illo eodem capitulo, §. 1. inveniet lector aliud non minus clarum testimonium ex ea concessione, quam dedit Adrianus Papa hujus nominis sextus, Collegio Sancti Bartholomaei ejusdem Universitatis Salmanticensis. Nam illic Pontifex praecipit, ut Collega, qui electiones in eodem Collegio faciendas, quovis modo per subornationes impederit ne pure, & recte fiant, obligetur in conscientia sine alia condemnatione, aut accusatione ad reddendum

eidem Collegio certam pecuniam quantitatem illic expressam. Ecce quinque apertissima testimonia protuli, quae evidentissime probant legem poenalem obligare non solum ad passionem, sed etiam ad actionem: non solum ad patiendum obligationem bonorum, sed etiam ad reddendum ea. Falsum est igitur quod Cajetanus ait, legem poenalem numquam obligare reum ad agendum, sed solum ad patiendum. Falsum etiam esse, convincitur quod ex illo fundamento elicit Cajetanus, numquam aliquem teneat ad reddendum bona sua, quamvis sit ipso jure privatus, sed semper esse necessariam iudicis actionem, per quam tollantur a reo bona illius. Quarto principali argumento contra hanc meam sententiam sic argui potest: Haereticorum possunt praescribere bona illorum, quae spatio quadraginta annorum bona fide possederunt, etiam si bona illa ad Romanam Ecclesiam spectarent, ut dicitur in cap. ultimo de Praescriptionibus, lib. 6. At, sine possessione, praescriptio non procedit, ut dicitur in regula 3. de Regulis juris, eodem libro. Ergo haereticorum possident bona, quae jure haereditario ab illis acciperent, & per consequens ipsi haeretici ante mortem possidebant: quoniam alias non possent morte sua tradere possessionem haereditibus. Et confirmatur per hoc, quod haereticus, aut quisvis alius similis criminis reus antequam crimen commisisset, habebat dominium, & possessionem bonorum suorum: sed post crimen commissum lex non privat illum, nisi solo dominio ergo relinquit illi possessionem, & per consequens quousque per iudicem privetur illa possessione, semper habebit illam. Hoc est argumentum illud quod in proximo praecedenti capitulo dixi, amicum quemdam meum per litteras suas, eo quod longe a me aberat, mihi objecisse. Sed hoc argumentum ante praeviderat Felinus, qui (ut dixi) hanc eandem mecum tueretur sententiam, & illi responderet. Nam in cap. Canonum, de constitutione, numero 43. postquam retulit Abbatis in hac parte sententiam volens illam tueri, & rejicere ea, quae contra illam pugnare videntur, haec quae sequuntur ait: Nec obstat huic limitationi, licet ipse non dicat, quod quis in conscientia retinet bona ipso jure amissa, utendo praescriptione, cap. 2. de Praescript. lib. 6. Quia ibi erat ignorantia poenae, patet ex textu, in verbo, Bona fide. Haec Felinus. Quantum haec responsio valeat, ego discutere nolo, sed aliis inquirendum relinquo. Iniquum siquidem mihi videtur, aut saltem incivile, & minus urbanum, ut illos oppugnare velim, qui mihi favore conantur, nisi forte tam malenaverint, ut hostibus viam aperiant qua melius nos oppugnare possint. Aliter ergo, & nisi mearum rerum me fallit amor, multo melius quam Felinus respondebo illi argumento, & in ipsomet arguentes illud retorquebo. Fateor quidem haereticorum, & ipsos haereticos antequam sint per iudicem damnati, & suis bonis spoliati, possidere bona quibus propter suum crimen sunt ipso jure privati: nec prore tam manifesta est opus rationes, & leges citare. Oportebat tamen probare haereticum, aut quemvis aliam similis criminis reum bona fide possidere bona, quibus est ipso jure privatus, quoniam quae mala fide possidentur, injuste possidentur, & sunt obligata restitutioni, & ideo non possunt praescribi. Est enim bonorum possessio quasi quoddam genus, quod duas sub se continet species, videlicet possessionem cum bona fide, & possessionem cum mala fide. Ex hoc igitur quod haereticus possidet bona, quibus est ipso jure privatus, velle colligere illum juste possidere, est arguere, a genere ad speciem, veluti si

quis hoc modo argueret. Est animal, ergo est homo. Quae consequentia quam mala sit, trimestris. Dialecticus agnosceret. Et hinc patet quanti valoris sit hoc argumentum quantum, quod ex ratione, praescriptionis pugnabit. Quia, & si ex illa convincatur haereticus possidere, non tamen convincitur illum bona fide possidere. Sed dices, Praescriptio non potest esse sine possessione cum bona fide, ut dicitur in regula 2. de Regulis juris, libro sexto: ergo haereticus bona fide possidet. Concesso antecedente, nego consequentiam, quia haereticus numquam praescribit. Nam licet capitulum illud de praescriptionibus, libro sexto, concedat praescriptionem Catholicis haereditibus haereticorum, numquam tamen haereticis ipsis conceditur, ut possint praescribere. Quod apertissime convincitur ex littera illius capituli, quae non omnibus haereditibus haereticorum concedit praescriptionem, sed solum haereditibus illorum haereticorum, qui putabantur Catholici dum viverent. Et inde ex casu illo solum excepto arguitur in contrarium, quod haereditibus illorum haereticorum qui dum viverent existimati sunt haeretici, non possunt praescribere. Ex quo ulterius evidenter colligitur, ut ipsi haeretici multo minus possint praescribere. Sed quare haereditibus haereticorum conceditur praescriptio, ipsis autem haereticis numquam? Haec diversitas non aliunde provenit, quam ex diversitate utriusque fidei: quia haereditibus possunt bonam fidem habere, haereticus vero numquam potest bona fide possidere bona quibus est privatus. Nam illud ultimum capitulum de praescriptionibus, libro 6. non concedit haereditibus haereticorum praescriptionem, nisi bona fide possederint bona illorum spatio quadraginta annorum. Hanc autem bonam fidem numquam haereticus habet, quum possidet bona, quibus est ipso jure privatus. Et hinc ego sumo vires, ut possim hoc argumentum retorquere in ipsos arguentes, sic dicendo: Haeretici non possunt praescribere bona quibus est ipso jure privatus, & non ob aliud, nisi quia mala fide possidet: ergo tenentur ea restituere domino illorum. Consequencia ista inde est manifesta, quod omnis male fidei possessor est injustus possessor, & peccat possidendo. Ex quo aperte colligitur illum obligari ad restitutionem, ut sic evitet peccatum. Sed forte aliquis contentiosus negabit haereticum esse male fidei possessorem, & ideo ego tam aperte illud probare volo, ut nulla pateat via qua adversarius elabi possit. Quod, ut apertius fiat, oportet prius statuere, quid sit bona, & quid mala fides. Dico interpretans titulum libri sexti de Regulis juris in regula secunda: quae ad hanc rem spectat, definire volens quid sit bona, & quid mala fides, non reddi generalem definitionem, sed solum exprimit quoddam particularem casum in quibus nocetur esse bona, aut mala fides. Nam solum refert ea quae venire possunt in possessione titulo emptio nis, & ita nihil dicit praeter id quod definitio erat in li Bona fidei, ff. de Verborum significatione. Joannes Andreas in Mercuarialibus suis interpretans illam regulam, Possessor male fidei, hanc questionem proflus intactam reliquit, cum tamen summe esset necessaria ad illius regulae intellectum. Petrus Ancharranus eandem regulam multo prolixiori lectione interpretans, nihil profusus de hac re dixit, tamquam si illa esset ab eadem regula extranea. Ut autem ego id, quod ab aliis illustribus juris interpretibus negligenter omisum est, perfecte definire valeam: opus est imprimis annotare fidem hoc loco non sumi pro virtute quae una est ex tribus Theologicis: nec pro actu illius virtutis, qui est quaedam credulitas, aut firmus assensus quo quis credit, quae de Deo, & de Jesus Ecclesia



credere tenetur: Quia hujusmodi bona fides nihil penitus agit ad justam, aut injustam bonorum possessionem. Nam si, etsi perfecte credat omnia quae credere oportet, nunquam tamen dicitur bona fide possidere ea quae furto surripuit. Fides hoc loco capitur pro conscientia, propterea quum de ciborum delectu differens, dixit: (Rom. 14.) Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est: quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est. Illud non esse ex fide dixit, ut doctissimi Theologi interpretantur, quod est contra conscientiam. Haec fides est quae saepe justitiam, aut injustitiam reddit possessioni, ita ut mala fides injustam faciat possessionem, bona vero justam, aut saltem non injustam. Mala ergo fides est conscientia, sive B iudicium quo quis iudicat alienum esse quod possidet. Bona vero fides est iudicium quo quis rem proprio nomine possidet, iudicat illam esse suam. Haec duo aperte colliguntur ex cap. Quoniam de praescriptionibus, ubi ipse quam synodali iudicio definitur, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio tam canonica quam civilis, tandem haec verba subduntur: Unde oportet, ut qui praescribit nulla temporis parte conscientiam habeat rei alienae. Ex quibus verbis aperte constat eum qui conscientiam habet re alienae, hoc est, qui scit rem quam possidet esse alienam, non bona, sed mala fide possidere illam. Potest ad huc dari fides media, quae nec bona sit, nec mala, ut quam possessor alicujus rei sic dubitat de illa an sit sua, an aliena, quod non magis ad unam partem spectat quam ad aliam. Et de hac media fide, aut dubia conscientia solet queri, an illa sufficiat ad veram, & iuste praescribendam. Glossa ultima, in cap. ultimo, de praescriptionibus, dicit eum qui dubitat, an res quam possidet, sit sua, esse bonae fidei possessorem, & posse iuste praescribere. Et haec sententia subscribit Panormitanus. Contrariam sententiam tuerentur Antonius de Barrio in eodem cap. ultimo, & Adrianus in quarto, & quidam alii. De qua re ego nihil impraesentiarum definire volo, ne longe a scopo discedam, satis mihi nunc esse existimo, quod quaestionem proposuerim lectori, ut sic exitionem discendi accipiat. Ad id igitur, unde digressi sumus, disputationem revocantes, ex his quae nunc de bona, & mala fide diximus, convincitur aperte haereticum, aut quemvis alium similis criminis reum, qui propter suam crimen est ipso jure suis bonis privatus, esse male fidei possessorem, quia possidet illa bona cum conscientia rei alienae, hoc est, sciens bona illa non esse sua, sed fisci. Si mala fide possidet: ergo possidendo peccat, & per consequens tenetur reddere fisco, qui est illorum dominus, ut sic reddendo evitet peccatum. An autem is qui ignorat bona sua propter crimen ab eo commissum esse ipso jure amissa, & fisco adjudicata, peccet illa retinendo, nunc differere nolo, propterea quod inferius uno integro capitulo de hac re tractare decrevi. Ecce vides candide lector, quanti momenti sit hoc quartum argumentum, quod fortius contra ipsummet argumentum (ut nunc clare ostendimus) quam contra me pugnat.

Ex his quae in solutione hujus argumenti diximus, satis aperte constat, quid sit respondendum ad confirmationem ejusdem argumenti, qua dicitur haereticum, aut quemvis alium similis criminis reum, antequam crimen commississet, habuisse dominium & possessionem bonorum suorum, & post crimen commissum ante iudicis condemnationem esse solum privatam dominium bonorum, & non possessionem. Ex quo colligere videtur, ut ante iudicis condemnationem habeat possessionem bonorum, quamvis non habeat dominium illorum. Si hoc argumentum a solis juris humani peritis mihi obijceretur, certe non valde mirarer, propterea quod illi non sunt tam subtilis, nec tam circumspici in argumentando. Sed quum audio hoc argumentum fuisse obiectum contra me a viro Theologo, & in publico Gymnasio Complutensi Theologiam proficiente, non possum non vehementer admirari, quum tam aperta sit illius argumenti infirmitas & debilitas. Fereor quidem (ut jam dixi) haereticum, & quemvis alium, qui propter suum crimen est ipso jure suis bonis privatus, antequam a iudice damnatur, possidere bona illa, quousque re ipsa auferantur ab eo. Et hinc apparet illius argumenti defectus: quoniam si illud aliquas vires haberet, etiam probaret haereticum, postquam a iudice competentem damnatus est, antequam fisco bona illius apprehendat, iuste possidere illa, & non esse obligatum ad reddendum illa, sed solum ad patientem captam illorum: quod nullus unquam concessit. Sic enim formari poterit argumentum: Haereticus ante crimen commissum habebat dominium & possessionem bonorum suorum, sed post crimen commissum, & illius condemnationem a iudice factam antequam ea fisco capiat, non est privatus a lege, aut iudice, nisi solo dominio: quia iudex solo imperio suo non privat, illam reali possessione bonorum quousque apprehendat illa. Ergo antequam capiantur ab illo, adhuc possidet bona olim sua, & per consequens (ut arguens contra me colligebat) non erit obligatus reddere. Facendum est ergo haereticum, aut quemvis alium qui propter suum crimen est ipso jure suis bonis privatus, possidere bona illa, sed mala fide: & ideo inde inferre non licet, illum non obligari ad reddendum fisco, immo potius contrarium colligi potest, cum omnis male fidei possessor sic possidendo peccet. Nam Joannes Andreas in Mercurialibus suis interpretans illam regulam Possessor, citat Joannem Monachum dicentem, ideo possessorem male fidei non praescribere, quia talis possessor peccat, & ideo iustum est, ut potius poenam quam praemium recipiat. Et hujus sententiae subscribit idem Joannes Andreas. Sed forte alia via contendet arguens intentionem suam probare, sic dicens: Haereticus ante crimen commissum habebat dominium & justam bonorum suorum possessionem: sed post crimen commissum antequam a iudice damnatur, non est privatus a jure, nisi solo dominio: ergo antequam sit a iudice condemnatus, relinquitur illi iusta bonorum possessio: & per consequens tunc non obligatur bona, quibus est ipso jure privatus, reddere fisco. Respondere consequentiam hujus argumenti esse bonam, & majorem quae ponitur in antecedente esse veram, sed minorem dico esse falsam, quae dicit haereticum post crimen commissum non esse a jure privatam, nisi solo dominio. Nam eo ipso quod privatus est dominio, privatus est iusta possessione bonorum. Non est quidem eo ipso privatus reali & nuda possessione: quia hanc (ut jam dixi) semper habebit quousque fisco bona illa realiter capiat, aut ipse reus in alium possessionem transferat. Sed licet non sit eo ipso privatus illa qualicumque possessione, est tamen eo ipso privatus iusta possessione, aut iustitia possessionis quae oritur ab ipso dominio. Quoniam (ut regula juris, libro sexto, ait) cum aliquid prohibetur, prohibentur omnia quae sequuntur ex illo. Sed ex solo dominio bonorum habebat haereticus ante crimen

commissum iustam illorum possessionem: ergo ablato dominio ab illo, auferatur eo ipso iusta possessio, quae a solo illo dominio pendebat. Sed forte quis dicit legem, quae ab heretico abulit dominium, dispensasse cum illo, ut ablato dominio possit possidere bona, quousque sit a iudice de suo crimine damnatus. Huic ego respondeo quod jam saepe me dixisse meminisse. Si talem legis dispensationem expressam mihi aliquis offenderit, statim illi cedam, & gratias pro tanto beneficio reddam, tantum abest, ut pertinaciter contra illum contendere velim. Sed certus sum quod nullam talem apertam dispensationem proferre poterunt, prout in proxime praecedenti capitulo in argumento primo latissime & apertissime ostendi.

Quintum principale argumentum quod contra meam sententiam obijcit, hoc modo se habet. Nullus potest esse simul reus & executor sententiae contra eum latae, sed si ille, qui propter suum crimen est ipso jure suis bonis privatus, obligatur ad reddendum bona, simul esset reus & executor sententiae: ergo nullus talis obligatur, nec obligari potest ad reddendum bona sua, sed oportet alium esse qui talem contra reum sententiam exequatur capiendos bona illius. Consequentia hujus argumentationis est nova; minor etiam est manifesta, quod videlicet sit reus & executor sententiae, qui a lege privatus suis bonis reddit illa, cui per ipsam legem sunt adjudicata. Major vero, unde tota hujus argumentationis vis pendet, probatur per hoc, quod persona ad rectum iudicium iustitiae faciendum necessaria debent esse sic distinctae, ut una officium alterius non sumat. Nullus enim potest esse accusator & iudex, prout docet Augustinus, & citatur a Gratiano in cap. Multi 2. quaest. 1. Eadem ratione nullus potest esse reus & iudex, quia in causa propria omnes caecimus, & ideo mirum esset, si in illa non errarem. Ob eandem causam, neque actor, neque reus potest esse testis in causa propria, quia illius testimonium semper erit suspectum, & ideo merito dicitur illi: (Joann. 8.) Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. A simili ergo videtur idem dicendum de executore, ut neque actor, neque reus possit esse executor sententiae contra reum datae. Hoc argumentum obijcit mihi hic Salmanticae in familiari colloquio quidam vir doctus Theologus amicus meus, dum mecum de hac re disputaret, & tanti hoc argumentum aestimavit, ut hoc solo persuaderetur credere neminem unquam obligari ad reddendum bona, quibus fuerit ipso jure privatus. Ad postquam me audivit, non tanti, ut ante fecerat, suum argumentum aestimavit. Nam majorem illam propositionem, ex qua tota (ut dixi) vis argumenti pendet, falsissimam esse illi per multa manifesta exempla evidenter ostendi. Omitto hic illud occultissimum iudicium, quo peccator suae male vitae poenitentiam ductus, seipsum iudicat, & seipsum poena dignum censet, & poenam, quam suo iudicio meretur, sibi ipsi infligit. Hoc est iudicium illud, quod in omnibus nobis desiderabat Paulus Apostolus dicens: (1. Cor. 11.) Si nosmetipsos iudicaverimus, nos atque iudicaverimus. Hujusmodi iudicium, quo poenitens seipsum poena dignum iudicat, & sibi ipsi illam infligit (ut doctissimus Theologus placet) ad iustitiam punitivam pertinet. In hoc iudicio ipsemet poenitens est reus, ipse est accusator, ipsemet est testis, ipse est etiam iudex, ipse denique est sententiae contra se latae executor. Quae omnia testimonio Augustini comprobantur, qui in libello de poenitentiae medicina, de hoc poenitentiae iudicio differens, ait: In hac poenitentia majorem in se quisque severitatem debet exercere, ut a seipso iudicatus non iudicetur a Domino, sicut ipse Apostolus ait: Si enim nosmetipsos iudicaverimus, non atque iudicaverimus. Ascendat itaque homo ad vestros tribunalis mentis suae, si timerit illud quod oportet nos exhiberi ante tribunal Christi, ut illic recipiat unumquisque quae per corpus gestit, sive bonum, seu malum. Constituat se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat. Nam minatur Deus hoc peccatori, dicens: Arguam te, & statuum contra faciem tuam. Atque ita constituto in corde iudicio, adit accusatorem cogitatio, testis conscientia, carnifex timor, inde quidem sanguis animi contentis per lacrymas profuatur: postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo iudicet participatione corporis, & sanguinis Domini, Haec tunc Augustinus. Ex cuius verbis apertissime constat poenitentiam esse iudicium in quo ipse poenitens est iudex, & idem poenitentiae executor. Sed hoc iustitiae iudicium est metaphorice & similitudinarius, & non proprie dictum, propterea quod iustitia non est virtus ad se, sed virtus ad alterum. Poenitentia autem quatenus per eam poenitens punit quod male gesserat, non respicit alium, sed seipsum. Quia tamen per eam sic punit se peccator, ac si alium iusto iudicio punire debuisset, ideo ad iustitiam pertinere dicitur. Hoc igitur dimisso iudicio, aliud profero quod vere & proprie ad iustitiam pertinere cognoscitur, in quo circa ullam controversiam idem est reus & executor. In articulatam confessione, in qua poenitens peccata sua clanculo fatetur coram Sacerdote, iudicium iustitiae fit. Nam ibi poenitens est reus, & non est opus alio accusatore teste: quia sicut evidenter patraui sceleris, ita etiam aperta confessio ejusdem non indiget elamore accusatoris. Iudex est confessor, cui Christus solvendi, aut ligandi tribuit potestatem, dicens: (Joann. 20.) Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt. Quam absolvit a peccato, & poenam in recompensam, aut satisfactionem offensae contra Deum factae irrogat, tunc sententiam dicit. Hujus sententiae executor non est alius, nisi ipse reus quia, si illi injungitur, ad sui delicti satisfactionem elemosyna, non debet expectare, ut pauperes capiant ab eo, sed ipsemet illam reddere tenetur. Si illi injungitur, ut Psalmos aliquos legat, non alius pro eo, sed ipse illos legere obligabitur. Praeterea, circa poenam impositam a testatore contra haerem extraneum, propter mandati sui transgressionem, si haeres fecerit contra mandatum testatoris, tunc ipsemet haeres erit reus & executor, quia ipsemet obligabitur in conscientia ad exequendum in se poenam a testatore expressam. Quoniam (ut omnes tam Theologi, quam juris humani periti concorditer docent) poena testamentaria obligat in conscientia haerem, quando testator illam iuste imponere potuit. Nam Cajetanus, qui dicit neminem obligari ad poenam, nisi postquam a iudice damnatus est ad illam, ab hac generali sententia excipit poenam a testatore impositam, in qua dicit non esse necessariam iudicis sententiam, sed omni sententia iudicis seclusa haerem esse obligatum ad poenam. Et hinc optime deducit uxorem quam maritus suorum bonorum usufructuarium reliquit hac conditione quod, caste vivat, si illa non caste vixerit, obligari ad restituendum bona quae consumpsit postquam non caste vixit. Et hoc probat per hoc quod volumus testatoris est implendum in omnibus: & sicut in aliis a testatore dispositis non est necessaria iudicis sententia, ut mandetur executioni, ita nec ad poenam infligendam, aut sustinendam. Potest adhuc melius (ut ego existimo) id probari si primo consideretur, quod inter tes-

ta-